



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

32. An adulti sufficienter instructi teneantur quamprimum suscipere Sacramentum Baptismi? Et quod est hujusmodi tempus? Et an si ex incuria Parentum infantes non sint baptizati, & nolint in adulta ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

# De Sacram. Baptismi. Resol. XXXII. 23

nunt graves cause ejusmodi permissionis : in præfenti autem gravis causa occurreret, quia licet Baptismus in re susceptus, non sit adulto omnino necessarius ad salutem, sed contritio possit ejus defectum in necessitate supplere, adhuc tamen est multo facilius per ipsum Baptismum justificari, & sæpè valde incertum an homo habeat contritionem, præferim quando de novo accedit ad fidem, & prius fuerat infidelis : ergo ut in tanto negotio prospiciatur vitæ spirituali, & eligatur medium longè securius ad salutem, non erit illicitum contemnere vitam temporalem alioqui incertam. Et hæc omnia docet Jacobus Granada, de Sacrament. contr. 4. tract. 4. disp. 2. num. 8.

## RESOL. XXXII.

An adulti sufficienter instructi teneantur quamprimum suscipere Sacramentum Baptismi ?

Et quid est hujusmodi tempus ?

Et an, si ex incuria Parentum infantes non sint baptizati, & nolint in adulta ætate baptizari, possint ad id compelli ?

Et an, si Parentes non baptizarent infantem surdum, cæcum, & mutum, sit baptizandus in adulta ætate ?

Et contra Caietanum non ponitur in dubium Constantinum ante finem vitæ fuisse baptizatum. Ex part. 9. tract. 6. Misc. 1. Resol. 2.

§. 1. **A**D hanc questionem Serra in 3. part. D. Thoma. q. 68. art. 3. putat, adultis non baptizatis etiam sufficienter instructis, & idoneis nisi periculum mortis imminet, non esse jure divino determinatum tempus, ultra quod, si Baptismum differant, peccent mortaliter : teneri tamen sub mortali baptismum non differre usque ad mortem, & ante illam non differre illum per multum tempus voluntariè, & absque sufficienti ratione. Primam partem docet D. Thomas, in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstion. 4. ubi sic habet : [ Ad Baptismum percipiendum non tenetur aliquis statim, postquam habet propositum Baptismi, ita quod peccet mortaliter, nisi statim baptizetur : nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod, si Baptismum differat, peccatum mortale incurrat, &c. ] Si periculum mortis imminet, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad baptismum suscipiendum.

2. Secundo probatur : nam, quod est hujusmodi tempus ? Si dicas esse primam opportunitatem, & occasionem, qua possunt commodè Baptismum recipere : contra hoc est, quod loco proxime citato, ait : D. Thomas : Præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commodè impleri possunt, quia sic si non daret aliquis elemosinam de superfluo, quandocumque pauper offertur, peccaret mortaliter, quod falsum est : sed ex hoc quod tempus necessitatem urgentem adducit. Ergo, cum Præceptum suscipiendi baptismum sit affirmativum, non obligat, quamprimum commodè recipi potest, ( sicut nec Præceptum divinum Confectionis Sacramentalis, de quo ibi agit D. Thomas, obligat statim, oblata opportunitate, ) sed quando tempus necessitatem urgentem adducit.

3. Verum ego existimo, adultum teneri divino Præcepto recipere baptismum, cum commodè potest : & ita docet Hurtadus, disp. 1. diff. 16.

Filliucius, tom. 1. tract. 2. cap. 6. num. 131. Coninch. in 3. part. q. 68. artic. 3. Leander de Sacrament. tom. 1. tract. 2. disp. 1. num. 12. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 31. sect. 1. Valentia tom. 4. q. 3. punct. 4. Henriquez, Granadus, Castrus Palau & alij. Probatur : quia certum est, Præceptum baptismi obligare : ea autem obligatio, non solum restringenda est ad articulum mortis, cum jam tunc finiatur via spiritualis, & ad terminum perveniatur ; Baptismus autem institutus sit, ut initium vitæ spiritualis, & janua Sacramentorum, quibus ad terminum celestis patriæ properamus : obligat ergo Præceptum hoc ante mortem, sed non est aliud tempus in vita, quo verisimilius sit obligare, quam cum primum commodè recipi potest Sacramentum : ergo.

4. Confirmatur : quia adultus tenetur credere, cum primum ei sufficienter proposita sunt mysteria fidei : ergo etiam tenetur recipere Baptismum, cum primum commodè potest. Patet consequentia : quia, sicut fides statim obligat, quia est fundamentum vitæ spiritualis ; ita etiam obligat baptismus, qui est janua Ecclesiæ, & necessariò prerequisite ad recipienda alia sacramenta ; & ut homo sit particeps orationum Ecclesiæ, gubernari que possit à Pastoribus, qui curant Dominicum Gregem, & erga non baptizatos non habent jurisdictionem.

5. Nec obstant rationes dubitandi : nam, licet in Scriptura, & Patribus non determinetur tempus, sufficienter illud colligitur ex ipsa rei natura, supposita necessitate baptismi : & quamvis sit affirmativum Præceptum, adhuc potest obligare statim, si non adsint rationes peculiare, ob quas differri oportet : sic enim obligat statim Præceptum recipiendi fidem sufficienter propositam ; & tamen est affirmativum. Satis ergo est ad rationem Præcepti affirmativi, si non obliget quoad omnes circumstantias ; sed aliqua occurrere possint, ratione quantum liceat differre executionem : & ita res se habet in præcepto baptismi : propterea enim addidimus in assertionem, obligare præceptum Baptismi, cum primum commodè recipi potest : occurrunt enim aliqua circumstantiæ, ob quas deficit ista commoditas, ac proinde cessat obligatio : & idè excusandi sunt Sanctus Ambrosius, & Sanctus Martinus, qui baptismum non statim receperunt.

6. Nec supradictis obstat exemplum Constantini Magni, qui in ultimo vitæ fuit baptizatus. Unde Caietanus in 3. part. q. 69. art. 8. sic ait : [ Adverte, D. Thomam recitativè loqui de lepra Constantini : dico autem hoc, quia nullius autoritate constat, Constantinum mundatum à lepra in Baptismo : tum, quia gesta Sylvestri ( ex quibus hoc videtur haberi ) incertum habent Authorem ; ut patet in cap. Sancta Romana dist. 15. tum, quia nullus, sive Christianus, sine Gentilis, Historicus invenitur hoc scripsisse, ut testatur Platina in Vita Marci Papa : tum præcipuè, quia Ambrosij autoritas obstat, dum in oratione de obitu Theodosij expressè dicit, Constantinum in ultimis constitutum baptizatum fuisse : quod longè distat ab hoc, scilicet, quod in principio suæ conversionis fuerit baptizatus. Et propterea narratio de lepra Constantini non est assertivè probanda. ] Ità Caietanus.

7. Sed meritò adversus illum insurgit novissime Pater Lessius in 3. part. q. 68. art. 3. num. 5. Itaque dicendum est contra Caietanum, falsum esse, Constantinum sub finem vitæ Nicomediæ baptizatum : constat enim, illum initio conversionis baptizatum Romæ à Sylvestro. Patet hoc ex Concilio Romano,

Romano, quod habitum fuit sub ipso Sylvestro cap. 1. & ex Damaso in *Vita Sylvestri*: ex Adriano I. in *epist. ad Constantinum*, & *irenen.* quæ approbatur in 7. Synodo *Al. 1.* ex Nicolao Papa in *epist. ad Michaëlem Imperatorem*, paulo ante medium, ubi Sylvestrum, Constantini Magni Baptizatorem appellat. Denique ex Nicephoro *lib. 7. Histor. c. 35.* ubi refutat sententiam contrariam, eamque confectam ait à Græcis Arrianis, scilicet, Eusebio Cæsariensi, ut sic oblique persuaderent, Constantinum Arrianum fuisse: nam Eusebius iste Nicomediensis, à quo tunc baptizatum dicunt, tunc Arrianorum erat. Et probat Nicephorus: quia multò ante Constantinus Concilio Nicæno interfuerat, & cum reliquis Patribus mysterium nostræ Religionis particeps fuerat, quæ Catechumeni non possunt percipere.

8. Unde non deseram hic ad labefactandam penitus opinionem Caietani, adducere verba Guiljelmi Merceri, Professoris Lovaniensis, de *Sacram. quest. 68. art. 3. num. 4.* qui respondit ad auctoritatem D. Ambrosij à Caietano adductam, sic itaque asserit: [Quod addit de Constantino, bene refellitur à Baronio *tom. 3. an. 324. n. 200. & seqq.* ut figmentum Eusebij Cæsariensis (quem Arrianorum Signiferum vocat S. Hieron. in *Chron.*) dicens, eum in fine vitæ baptizatum ab Eusebio Nicomediensi, similiter Arriano, idque scribit, ne videretur, Constantinum Arrianum, ut desertorem paternæ religionis, arguere. Nam & Græcorum Ecclesia prædicat eum Sanctum Imperatorem, & Apostolis proximum; Romana similiter, solita recitare ejus nomen in Martyrologio, teste Nicolao Papa, Epistola ad Michaëlem Imperatorem, & Concil. Chalcedonens. Martino Imper. religiosissimo acclamat, honoris causa, ut novo Constantino. Imò ipsemet Eusebius *lib. 4. Vita ejus, cap. 22. & 57.* narrat, eum interfuisse sacris Mysteriis tempore Paschali, quibus Catechumenos interdixerat Synodus Neocæsariensis. *capit. 5.* & more Episcoporum sedisse in Concil. Nicæno *anno 325.* & orationem habuisse, qua prostebatur, se esse Christianum, & baptizatum. Favendi ergo hic sunt Theod. & Sozomenus sequuti Eusebium, & eis opponendus Niceph. *lib. 7. cap. 35.* probans, ipsum baptizatum esse à S. Sylvestro; imò & hodie visitur Romæ Baptisterium Constantini. Quod ergo S. Ambrosius *oratione in obitum Theodosij*, dicit, Baptismi gratiam, Constantino in ultimis constituto, omnia peccata dimisisse; non est intelligendum de ultimo vitæ tempore; sed de lepra, quam curare Medici desperabant, judicantes eum esse propterea in fine vitæ. Nam idem S. Ambrosius dicit, eum fuisse magni meriti: ergo non putant decessisse baptizatum ab Arrianis. Rursus, quod in Chronico S. Hieron. dicitur, Constantinum in extremo vitæ tempore ab Eusebio Nicomediensi baptizatum, declinasse in Arrianum dogma, est appositum ab alio. Nam scribens contra Vigilantium spernentem Reliquias, infert pro absurdo: Ergo sacrilegus fuit Constantinus Imper. qui sanctas Reliquias Andrea, Luca, & Timothei, transfudit Constantinopolim. Verè autem sacrilegus esset, si ab Ecclesia defecisset. Tertio, simile de Baptismo in fine vitæ legitur in Concil. Ariminensi: sed corrigendum est, ut pro nomine Constantini, legatur, Constantis, qui mox à Baptismo est occisus per Magnentium, teste S. Athan. *lib. de Synodis, & in Apologia*, vocante Constantem Martyrem, contra Socr. *lib. 2. cap. 29.* vel legendum est, Constantij, qui in fine vitæ, & ab Euzolo baptizatus est, teste Ba-

ron. *ann. 361.*] Hucusque Mercerus. Non debet itaque Caietanus rem hanc in dubium adducere. Unde ex his reprobandus etiam venit Nagnus in 3. *part. rom. 1. q. 68. artic. 3.* ubi docet, Constantinum baptizatum fuisse circa finem vitæ. Dicendum est itaque contra Caietanum, D. Thomam non esse loquutum recitativè, sed assertivè.

9. Sed pro coronide hujus questionis apponam hic pro curiosis duo dubiola. Primum, an si parentes non baptizarent infantem surdum, cæcum, & mutum, sit baptizandus in adulta ætate? Respondeo cum Ochagavia de *Sacram. tract. unico, de Baptismo, q. 18. num. 5.* quòd si de voluntate supradictorum non constat, quia à natura his sensibus caret, minime possunt baptizari: tum, quia, cum sint capaces consensus, & dissensus, debet eorum voluntas expectari: tum, quia possunt habere aliquem obicem respectu gratiæ Sacramentalis, de quo, nisi per verba, aut alia signa Catechumeni, constare nobis minime potest. Hic autem si legem naturalem fervere, interius à Deo illuminaretur ad concipiendam contritionem, quia justificaretur.

10. Secundum dubium est, an, si ex incuria parentum, infantes non sint baptizati, si nolint in adulta ætate baptizari, possint ad id compelli? Respondeo, quòd Sotus in 4. *dist. 5. q. unica, art. 9.* tales ab Ecclesia in ætate adulta ad Baptisimum posse compelli, etiam sub ignis supplicio: sicuti qui in infantia baptizati fuerunt, possunt compelli ad servandam Catholicam Religionem. Verumtamen Hentiquez *lib. 2. cap. 25. §. 6.* docet, usum Ecclesiæ hoc non habere; nec expedire, ut Ecclesia adultum reluctantem, qui nunquam se ut Christianum gessit, duris pœnis compellat; quia, licet ratione parentum pertineat ad eandem Rempublicam civilem; in spiritualibus tamen est adhuc inter eos, qui fortes sunt extra ovile Ecclesiæ, & sine caractere. Unde & Suarez dicit, nec esse, nec unquam fuisse præceptum Ecclesiæ respectu adultorum, sive non baptizatorum. Pro quo allegat Concil. Trident. quòd *sess. 14.* dicit, Ecclesiam in neminem judicium exercere, quia non in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Dixi, qui nunquam se pro Christiano gessit: quia, qui Christianus fuit habitus, & cum aliis in Sacramentis Ecclesiæ participavit, compelli potest; atque adeò sæpè etiam compelli solet ab Ecclesiâ, ut loco citato, notat Rodriguez, ab Baptismo, etiam sub pœna mortis. Et ad hujusmodi forsan adultum respexit Soto, quamvis generaliter loquatur. Et hæc omnia docet etiam Joannes Vviggers in 3. *part. D. Thomæ, q. 68. art. 3. num. 21.*

## RESOL. XXXIII.

An tempore mortis sit præmittenda instructio Infidelibus baptizandis? Ex *part. 5. tr. 3. Ref. 20.*

§. 1. Respondeo supradictos debere instrui, & probari per aliquot menses ante Baptisimum, ut dicitur de *conf. d. 4. cap. ante Baptisimum, & seq.* si tamen urgeat necessitas obfisionis, vel naufragij, vel similis periculi mortis, tunc exposita fide, utcumque si petens Baptisimum assentiat, est baptizandus, & ita docet Zambranus de *Sacram. Baptism. c. 1. dub. 14.* ubi citat Toletum, quibus ego addo Sancium in *select. disp. 44. n. 41.*

RESOL.